



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Cap. XX. Henricus & Margarita Yolandam altari impositam Deo offerunt.
Haec in magno comitatu ad Mariae Vallem à matre deducitur, & regiè
ornata ad templum sistitur, ubi post dona ad aram oblata, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

sam mortem. Henricus intelligens filiae expug-
 nandae spem nullam esse reliquam: Perge, ergo,
 inquit, perge, quo tuus te rapit animus, & quan-
 do ita vis, æterno luctu atque lacrymis miserum
 parentem contumula. Hanc parentis vocem ve-
 ram fuisse, comprobavit exitus. Quippe quoad
 vixit, nihil ei lætum, nihil iucundum fuit, gau-
 dia aut oblata respicienti aut fugienti.

CAPVT XX.

*Henricus & Margarita Yolandam altari
 impositam Deo offerunt. Hæc in magno
 comitatu ad MARIÆ Vallem à matre
 deducitur, & regiè ornata ad templum
 sistitur, ubi post dona ad aram oblata, ve-
 lum & sacram vestem suscipit.*

ANnus erat M. CC. XLVIII.] advenerantque
 nonæ Ianuarii, cum Margarita, filiae Deo
 offerendae intenta, ut id marito volente fieret,
 faciendum censuit. Itaque illum adiens, gravi
 oratione usa, ita affatur. Dona à Deo, Henrice,
 maxima plurimaque accepimus. Eius munera
 sunt non tantum amplæ opes & alta honorum
 fastigia, subjectique nobis cum arcibus atque
 oppidis populi, sed & hæc corpora, vitaque no-
 stra. Id meminerimus, ne ingrata oblivio dan-
 tis occludat manum. Gratitude autem dona-
 tor,

tor, non magis exigit, quam probare assolet. Censesne tu, aliã de causã reposcere eum à nobis filiam nostram, quam in experimentum gratitudinis? Parci ergò nos hïc erimus & tenaces, ne dicam injurij, nec reddemus repetenti suum immortalis Deo? Tunc tale consciscere in te crimen audeas? Sed vide, te amabo, liberalitatem repentis Dei. Primò hoc ipsum, quod repetit, quod poterat tollere, amplum sanè est & magnificum. Deindè, quod aut tollere aut repetere totum poterat, id nobiscum partitur, non ex dimidio, sed decerpã sibi portione minimã. Liberos eius dono creavimus plures: ipse, puellã unã contentus, reliquos concedit nobis. Et nos tam magnifico, tam profuso Numini rebelles, velut oppositã vi, pro unã filiã contrã eum pugnabimus? Quin audi me potius, & Yolandam unã mecum Divino Numini offero. Henricus ad hæc cogitabundus non nihil conticuit, & tandem paruit suadenti. Ergo Yolandam, gaudio & lætitiã gestientem, manibus utrimque datis mediam ad templum deducunt. Ubi deventum ad aram, ei filiam imponunt, munus Deo, quale vix alterum est in omni retrò memoria. Tum uno ore oblationis formulam ita concipiunt. Christe optime, maxime, hanc filiam, non tam nostram, quam tuam, recipe, te quæsumus. Aræ huic tuæ lubentes volentes imponimus summam amoris nostri. Accipe victimam, omnibus mundi delicijs, æstimatione nostrã, maiorem. Tu cum San-

Stiffimâ Matre tuâ MARIA acceptam gratamque habe.

Henrico constabat inter hæc quidem mens atque ratio, sed affectum non tenuit, tanto repente doloris sensu oppressus, ut ægritudini impar, decubiturus inde lectum petere debuerit, filiâ conjugeque relictis. Quæ cuncta cum familiares ac domestici viderent, multum profudere lacrymarum, nec erat ullum adeò durum pectus, quod sibi temperaret à fletu. Una hilaris Yolanda, speciem referebat vernantis rosæ, quæ inter spinarum aculeos efflorescit. In cæterorum luctu, efferebatur ipsa gaudio, oblita patriæ, oblita parentum, dejectis atque proculcatis rebus humanis gloriosa. Cumque rogaret mater, ut maturaret abitum, seque ad iter compararet, illa amicos atque consanguineos, qui Margaritæ invitatu convenerant, valedictura singulos ordine adit, complorantibus sine discrimine omnibus. Præter consanguineos ac parentes, alios quam multos undique exciverat fama discessus Yolandæ, patrias terras nunquam revisuræ. His ceterisque omnibus cum mœrore prosequentibus, Margarita cum filiâ iter ingreditur. Henricum domi defixit dolor, inter suspiria & gemitus vix ægrum trahentem spiritum.

Postridie quam discesserant, perventum est ad MARIAE Vallem benè manè, VIII. Idus Ianuarias, qui dies est anniversarius habitarum quondam in Cana Galilææ nuptiarum. Iam eò

con-

confluxerat magnus nobilium virorum atque matronarum numerus, cum ingenti & promiscuâ hominum multitudine, quos omnes sponsæ Christi spectandæ cupido attraxerat. Margarita filiam exornare orsa, eum cultum adhibuit, qui puellam deceret è prisco sanguine Comitum & Regum oriundam. Emicabat in vertice corona aurea gemmis interstincta. Crispi flaviq̃ue capilli, margaritis & unionibus undique mirâ elegantiam circumvoluti, certabant cum cætero pretiosissimo corporis ornatu, undique effulgente auro atque gemmis, ut satis constaret, vix unquam aliàs tantæ opulentiam cultum conspectum in ullâ virgine. Miratæ tantam Margaritæ in comendâ filiâ profusionem nonnullæ matronæ, rogant, quid hoc rei sit, quod in Yolandam sese deserentem tantum ornamenti conferat? Quibus Margarita; Si filiam meam nuptui darem mortali viro, utique exornanda mihi splendidè foret atque magnificè. Nunc Rex cœlestis eam thalamo suo dignatam, sponsam accipit, & ego non omne aurum profundam, non gemmas atque margaritas congeram, non regiè, aut si quid magnificentius potest, eam convestiam? Scilicet committam, ut mei me pudeat, quæ inornatam contemptamq̃ue tanto Numini sponsam offeram? Hæc Margarita comiter æquè ac sapienter & piè. Sed tantum in corporis cultu decus, Yolanda specie atque formâ omnium confessione superabat. Purpurea labra atque genæ, collumq̃ue

H 5

lacteum

lacteum, hinc meras rosas, hinc mera lilia referabant. Figura corporis atque membrorum apta, & ad omnes pulchritudinis numeros exacta. Incessus habitusque mirè compositus, ut nemo dubitaret, haud aliàs tantæ elegantiaë & speciei visam usquam virginem. Sed externum illud humani oculi spectaculum multis partibus anteibat decor animi, soli cælo aspectabilis, nec minus quam humanis oculis, sermone non assequendus.

Postquam omnia comparata erant, processum est ad templum. Primo loco ante omnes Yolanda sponso suo cœlesti ibat obviam, comitata duabus nobilibus puellis, Beatrice & Heilevivâ, fidis sibi nuper inter omnia adversa socijs, nunc cum ipsa Christi quoque sponsis. Sequebatur agmen nobilium matronarum cum Margaritâ. Iam templo pompa successerat, gestiente Yolandâ & ægrè ferente moram, dum ad adyta perveniret. Quò ut deducta est, processit ad aram, ibique consistit. Datum deindè Sacrificio initium, quod cum cantu & solennibus cerimonijs peractum. Iamque offerenda erant dona ad aram, ut rituum sacrorum mos est. Tum Yolanda cum duabus sodalibus suis ad locum progressa, ubi mater sacrificio intererat, flexis antè eam genibus, veniam suppliciter poscit. Indè pari, quâ venerat, modestiâ reversa ad aram, donum de more imponit. Addit eodem detractam capiti suo coronam, cum pretiosis vittis atque tenijs; ac tum omni se ornatu exspolians, eum abjicit. Aderant,
qui

qui confestim tunicam ei candidam induerent, palliumque nigrum & promissum circumdarent. Hoc habitu ipsa mox, elatâ clarâque voce, modis solemnibus in hanc verborum formulam concinuit: *Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem Domini nostri IESU CHRISTI, quem vidi, quam amavi, in quem credidi, quem dilexi. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. Sic præcinenti Sanctimonialium chorus suavissimè succinebat; donec ad se deductam Yolandam accepere intrâ sua septa, ubi impofterum triginta quinque annis seclusa permansit.*

CAPUT XXI.

Friderico filio mortuo Henricus & Margarita condunt Viennæ domum Trinitariorum; & uxor Friderici ductu Waltheri Meisenburgj fit Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis. Henricus & Margarita Trinitarijs Viennensibus varia donant, & rebus suis se abdicantes, ille proficiscitur in Palestinam, hæc fit Sanctimonialis ad MARIÆ Vallem, ubi Yolanda virtutibus efflorescit.

H Atenus res gestas Yolandæ Hermannus summa diligentia prosecutus, hic narrationis filum abrumpit, addita tantùm aliqua virtu-